NONNULLA

DE TELIS SPURIIS IN CORPORE HUMANO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE XII. M. MARTIS A. MDCCCXXXI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

EVERHARDUS SCHIEFFER,

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

CH. GUMMICH, MED. ET CHIR. DR.

TH. LOH, MED ET CHIR. DR.

C. MEYER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS FERDINANDI NIETACK.

FRATRI CARISSIMO

LUDOVICO SCHIEFFER

PAGELLAS HASCE

D. D. D.

AUCTO

Etsi negari non possit, naturam a veteribus, artem medicam profitentibus, sensu casto, a praejudiciis libero, esse observatam, multorumque morborum historiam quasi naturalem claris atque accuratis lineamentis ab illis esse signatam; etsi inter omnes constet, morborum imagines, a Hippocrate, quem grata postera aetas patrem artis medendi nominavit, expressas postea vix superatas esse, tamen ab altera parte, ne nimis tribuamus vetustati, non negligenda est observatio, pathogeniam veterum erroribus gravissimis esse inquinatam, veramque plurimorum morborum indolem prorsus eos latuisse et latere debuisse propter mancam atque vitiosam anatomiae et physiologiae corporis humani notitiam. Eo laetius est, ducet artis nostrae historia, tempora perlustrare, viasque videre, quas persecuti sunt medici ad cognoscendam veram morborum naturam, imprimis ope anatomiae atque physiologiae, renato na-

turae studio. Ut e multis unum referam: quantum lucis et sani et aegrotantis corporis cognitioni adspersit verus sanguinis circuitus, a Harveo detectus! et quantum melius intelligimus nutritionem ejusque morbos, vasibus chyliferis atque lymphaticis eorumque functionibus inventis! Inter morborum genera, quae ardore atque studio recentioris aevi indefesso clarius nobis innotuerunt, et quorum natura originisque ratio partim exprimentis partim subsidiis anatomicis accuratius indagata est, principem fere locum obtinent novae formae in corpore humano praeter naturam ortae. Ut vero semper, si novi quid anteaque absconditi a viro quodam ingenioso in lucem profertur, aut via cognitionis neglecta aperitur, summa excitatur aemulatio inter viros sagaciores ad perficiendum et amplificandum opus inceptum, ita et novarum illarum formarum investigatio, cum initia feliciter facta essent, multorum virorum studium incendit. Jam quinquaginta circiter annis hac res elaborata est, fructusque uberrimos jam protulit diligentia; quare fortasse operae pretium erit, in his pagellis a singulis indigata brevibus consignare.

Laus summa, primum animum atque diligentiam adtendisse ad illustrandam hanc artis medendi partem, tenebris et erroribus tum temporis obrutam, omni jure tribuitur viro clarissimo, John Huntero*); nam quanquam historia docet, a prioribus anatomicis, Pois, Malpighi, aliis, pericula facta esse, membranis nonnullis, praeter naturam ortis, earumque origini lucem adspergere, et quanquam negari nequit, disquisitiones nonnullas antiquiores de scirrho et tumoribus cysticis, a Louis, Chopart, Chambon et Quesnay conscriptas legi in commentationibus academiae parisiensis chirurgorum, primum tamen Hunterum, originem omnium illarum membranarum, legesque, secundum quas in corpore formantur, enucleare intentum reperimus. Hunteri magnum exemplum vehementer excitavit patriae ejus scriptores, ut procederent in via inchoata, e quibus summam laudem nacti sunt W. Stark, Jos. Adams, John Abernethy et

*) J. Hunter's Abhandlung über das Blut, die Entzündung und Schufswunden. Aus dem Englischen übersetzt von Hebenstreit. Leipzig, 1800.

Matth. Baillie. Stark *) praecipue sibi proposuit, pulmonum tubercula investigare, cujus vestigia persecutos esse videmus Reid **) et Rush ***).

Jos. Adams †) Hunteri disquisitionibus de genesi hydatidum usus est ad demonstrandam originem aliarum membranarum praeternaturalium, sed se fefellisse in eo videtur, quod similitudine inter has membranas praeternormales et parasitos, vitam suam propriam degentes, perductus, membranas illas quoque animalculis originem vitamque debere putavit. Praeter hunc errorem observationes et investigationes ejus notitiam de hac artis parte praebent uberrimam. Magna quoque sunt merita John Abernethy non solum in describendis his morbis, verum etiam in indaganda ratione, qua novae formae, organismo sano alienae,

---

*) Stark's klinische und pathologische Untersuchungen, herausgegeben von J. Carmichael. Aus dem Engl. von Michaelis. Breslau, 1789.

**) Essay on the nature and cure of the phthisis pulmon. L. 1782. Deutsch von Diel. Offenb. 1787.

***) Med. Ing. a. Observat. Vol. II. p. 83.

†) Deutsch im neuen Journal für ausländische medizinische Literatur. Bd. 1. St. 1. No. 2.

in corpore nostro nutriuntur. Theoria ejus tam ingeniosa mihi videtur, ut paucis hic commemorare eam liceat. Effunditur, ait, pars sanguinis ad coagulationem apta, in parenchyma organorum novisque in his sedibus recepta vitam agere incipit; diversa quidem a substantia eam circumvolvente, tamen nutrimentum capit e vicinia per vasa sanguifera. Nova forma, hac ratione orta, embryonis instar, utero inclusi, vivit atque irritatione, qua infestat partes finitimas, necessessariam humorum affluentiam allicit. [Leguntur apud eum hae species: 1) sarcoma cysticum, 2) tumores sacco inclusi, 3) sarcoma pancreati simile, 4) sarco mammillare, 5) medullare, 6) vasculosum 7) adiposum, 8) tuberculosum, 9) carcinomatosum. Laudant viri experientes hanc distributionem, magnaque ejus commoda apud lectos agrotantium praedicant; sed fortasse haud injusta est vituperatio, nonnunquam audita, Abernethy, cum ita morbos distribueret, majorem ratiouem habuisse usus medicorum, quam diversae morborum naturae. Omitti porro non potest ex Angliae scriptoribus Baillie, diligens naturae scruta-

tor, descriptionibus accuratis de hac artis medicae parte bene meritus. Cum initia tam splendida facta essent, permulti alii postea animum adplicarunt ad amplificandam horum morborum notitiam, e quibus in Anglia potissimum inclaruerunt: B. Bell, Chr. Bell, Hey, Brodie, Wardrop, J. Burns, A. Burns, Cooper, Travers, Lawrence, Howship, Copeland, Colles, Baron, Farre, Monro, alii.

In Gallia, ubi viri celeberrimi Louis, Fabre et Portal studium anatomiae pathologicae jam valde adjuvaverant, magnaque cognitionis verae impedimenta jam remota erant, prae omnibus hic nominari debent Pinel et Bichat. Hic enim fuit, qui non solum membranas corporis transformatas, verum etiam novas illas atque insolitas formas vocavit in disquisitionem, eorum originem atque incrementa indagavit, varios eorum status a primordiis usque ad fines perniciosos, structuraeque similitudinem et dissimilitudinem in membranis sanis et praeternaturalibus comparavit. Valde igitur dolendum est, hunc virum, tantum jam nobis opitulatum, multo majora pollicitum morte praema-

tura esse necatum. Inter discipulos ejus laudem summam nacti sunt Bayle, Laennec et Dupuytren. Accuratiorem tuberculorum notitiam debemus Bayle, etsi non liber esset errore, tubercula variis vitae suae aetatibus observata esse varias eorum species. In eo autem Bayle*) superavit Starkium, quod non solum pulmonum tubercula investigabat, verum etiam in aliis organismi partibus eorum praesentiam atque originem commonstrabat. Laennec, qui summa sibi recuperavit merita de morbis cordis atque pulmonum accuratiorique eorum diagnosi, nomen tam insigue factum est in historia artis nostrae, ut non possim non, quin systema morborum ab eo propositum brevibus hic referam. Distribuit enim vir celeberrimus in morbos, quorum signa medico obversantur, et in morbos medici sensibus reconditos; quorum classem priorem nominavit morbos organicos, alteram nervorum.

---

*) Remarques sur les tubercules, par G. L. Bayle. In Journal de Med., Chirurg. et Pharm. par Corvisart, Leroux et Boyer. Germinal an XI. tom. VI. p. 3.

Remarques sur la dégénérescense tuberculeuse non encystée du tissu des organes. Ibidem an XIII. tom. IX.

Referuntur ad classem priorem 1) nutritionis vitia, 2) texturae transmutationes, 3) situs formaeque alienationes, 4) Entozoa. Textura organorum mutari potest, a) continuitatis divulsione b) accumulatione et effusione materiae normalis, e. g. adipis, sanguinis, c) inflammatione ejusque sequelis, d) massa praeter naturam in corpore orta. Ad vitia postremo nominata, genuinae organorum texturae aliena, pertinent: a) tubercula, b) scirrhi, c) encephaloides, d) melanoses. Leguntur illa in libris infra*) laudatis. Cruveilhier, qui partim novas inconcinnasque corporis formas membranasque degeneratas inter se, partim cum membranis normali-

---

*) Mémoires sur les vers vesiculaires et principalement sur ceux, qui se trouvent dans le corps humain. Bulletin de médecine. Paris 1805. p. 151.

Note sur l'anatomie pathologique. Journal de med., chir. et pharm. par Corvicart, Leroux et Boyer, Tom. IV. p. 360.

Art. „cartilages accidentelles" diction. des sciences médicales tom. IV. 1813. p. 123.

Art. „Encephaloides." Ibid. tom. XII. 1815. p. 165.

De l'auscultation médiate, ou traité du diagnostic des maladies du poumon et du coeur, par R. T. H. Laennec. Paris 1819.

bus illas comparavit, systema amplum nobiscum communicavit; quod explicatum reperimus in libro ejus: essai sur l'Anatomie pathologique en general et sur les transformations et productions organiques en particulier. Paris 1816. Mentionem postremam e Galliae scriptoribus meretur Merat,*) apud quem longamquidem anatomiae pathologicae distributionem, in rebus gravioribus autem cum Laennec consentaneam invenimus.

In patria nostra, ubi de hac re multa praeclara et observata et cogitata sunt, inclaruerunt Loder, Schreger, Klein, Rust, a Walther, a Graefe, Widemann, Langenbeck, imprimis autem Meckel et Heusinger. J. F. Meckel**) distinguit 1) figurae vitia, 2) structurae vitia. Haec amplectuntur duo agmina a) transmutationes partium

---

*) Art. „Lesions organiques." Vol. XXVII. p. 485 in in diction. des sciences médicales.

Art. „Lesions physiques des organes." Ibid. Vol. XXXVIII. p. 138.

Art. „Lesions organiques des tissus." Ibid. Vol. LV. p. 210.

**) Handbuch der pathologischen Anatomie. Leipz. 1812 — 17.

normalium, b) partium novarum originem. Huc referuntur: 1) inflammatio, 2) molimina organismi ad regenerandas partes amissas, 3) novarum formarum genesis. Generantur a) partes novae, in corpore sano quoque obviae, quales sunt adeps, tela cellulosa, cartilaginosa et ossea, cutis vasaque, c) novae formae corpori humano alienae, quales sunt tela pancreati similis, tela mammillaris, fungus haematodes, sarcoma medullare, carcinoma, scrophulae. Classis postrema tenet formas, cum corpore non cohaerentes, ut entozoa et concrementa lapidea. Laus eximia debetur Meckel, etsi singulae partes accuratius ab aliis pertractatae sint, eum tamen totam rem multa diligentia atque ingenio sagaci esse amplexum. Heusinger*) eandem fere viam persecutus, texturae vitia investigationi accuratiori subdidit; minus autem arridet systema ejus magnum viris experientibus, propterea quod nimis tribuerit legibus histologicis. Tempore recentissimo librum **)

---

*) System der Histologie von Heusinger. 2. Band. Eisenach 1822.

**) Untersuchungen über die Natur parasitischer Geschwülste im menschlichen Körper, insbesonde über

de re nostra conscriptum nobis condonavit Meyen, in quo legitur distributio haecce:

I. Formae, nisu formativo alienato ortae, vitam propriam non degentes. a) vi productiva alienata; b) vi secernente alienata ortae. Unde existunt:

1) Figurae vitia; 2) structurae vitia; 3) organa praeter normam formată.

II. Formae novae, nisu formativo alienato generatae, vitam propriam agentes, parasiti, quorum tres ordines nominantur:

1) Parasiti regni mineralis; 2) vegetabilis; 3) animalis.

Ordini secundo adnumerantur 1) parasiti, systemate sanguifero orbi; quo pertinent a) polypus pituitosus, b) hydatis; 2) parasiti, systemate sanguifero praediti: a) parasiti cum peripherico systemate sanguifero, quo referuntur: hygroma, hamatocystis, meliceris, atheroma, ganglion, sarcoma, chondroma, steatoma, osteosteatoma, tuberculum; b) parasiti cum systemate sanguifero

---

den Mark- und Blutschwamm, von Dr. Meyen. Berlin 1828.

centrali: verruca, condyloma acuminatum, polypus, (1. caudatus, 2. fungiformis) scirrhus, fungus medullaris; c) parasiti cum vasibus sanguiferis et periphericis et centralibus: fungus hàematodes.

III. Generationis vitia:

a) monstra, b) partes repetitae.

Distributio autem gravissimis vitiis laborare videtur; nam cui non mirum est, morbos conjunctissimos, quales sunt fungus haematodes et medullaris, in diversos locos esse divulsos, morbos autem dissimillimos, ut tuberculum atque hygroma, in unam seriem coordinatos.

Quanquam studiis viribusque multorum virorum conjunctis vix fundamenta tantum clarioris cognitionis posita sunt in hac artis parte, quanquam destributiones horum morborum ab Abernethy, Laennec et Meckel propositae, penes quas summa auctoritas est, multo absunt, ut satisfaciant votis nostris; admirari tamen nos oportet jam in lucem edita, comparatione inter nostrae et praecedentis aetatis notitiam instituta. Ita apud Plenck haec tumorum genera inveniuntur: 1) tumores inflammationis, 2) puris, 3) combustionis,

:) tumores indurati, 5) tumores aqua, 6) sanguine epleti, 7) carnosi, 8) tumores ossium, 9) articulorum, 10) saccati, 11) tumores concrementoum terrenorum, 12) aëre, 13) saliva, 14) bile, 15) lacte, 16) urina impleti, 17) tumores herniaum spuriarum, 18) organici aut intestinorum.*)

Astruc**) distinguit tumores naturales, non aturales et praeternaturales. Naturales ejus tumores sunt protuberantiae corporis normales, quais est nasus, non naturales, qui ob finem quenam oriuntur iterumque evanescunt, ut abdominis ntumescentia in gravidis, praeternaturales sunt iovae illae formae jam saepius dictae. Hebentreit, hujus distributionis vituperator, tumoribus raeternaturalibus, aut situs mutatione aut humoum effusione, ortis, novum addidit genus tumoum, qui massae solidae accumulatae origineu ebent. Quantis erroribus prematur et quam

*) Jos. Plenck neues Lehrgebäude von Geschwülsten .s. w. Dresden u. Leipzig 1787.

**) Astruc Abhandlung von Geschwulsten und Gechwüren. 2te Ausgabe, mit vielen Zusätzen und Anierkungen von Hebenstreit. Dresd. u. Leipz. 1791.

manca sit haec distributio, cuique patet; nec minus vituperanda est illa, in saeculo anteacto quoque nobis obvia, divisio tumorum in phlegmonem, erysipelas, oedema et scirrhum. Methodus, originem horum malorum exponendi, adhuc prae se fert aperta pathologiae humoralis vestigia, cum phlegmonem a sanguine, erysipelas a bile, oedema a muco et scirrhum ab atra bile procreari scriptores docerent.

Commentationem de nonnullis vitiis hujus generis inclytam debemus Phil. Walther, qni, etsi non omnes formas in corpore praeter naturam ortas descriptione accuratiori adumbraverit, multa tamen praeclara cogitavit et prodidit de omnium horum vitiorum natura atque indole.*)

Praeter hunc virum celeberrimum e patriae nostrae scriptoribus recentissimis hic nominari debent Casper,[1]) Ritgen,[2]) fratres Wenzel,[3]) Fleischmann.[4]) E galliae scriptoribus Breschet,[5]) Mounoir[6]) et Broussais.[7])

---

*) Ueber Verhärtung, Skirrhus, harten und weichen Krebs, Medularsarkom u. s. w. im Journal für Chirurgie und Augenheilkunde von Gräfe und Walther. Bd. V.

1) Art. zur Lehre von den Afterorganitationen. Archiv für medicinische Erfchrung u. s. w. von Horn, Nasse, Henke und Wagner.

2) Journal für Chirurgie und Augenheilkunde von v. Gräfe und v. Walther. Bd. XI. Heft 1—3.

3) Gebr. Wenzel von dem schwammigen Auswuchs auf der harten Hirnhaut. Mainz 1811.

4) Fleischmann Leichenöffnungen. Erlangen 1815.

5) Art. „fongus hematode." Dictionnaire des sciences médicales.

6) Mémoires sur le fongus medullaire et hematode. Paris 1820.

7) Examen des sciences medic. et des systemes du nosologie. Paris 1821.

Jam superest, ut rationem, qua gignuntur atque increscunt telae spuriae in corpore humano, quantum id licet per observationes atque disquisitiones anatomicas, ad nostram aetatem continuatas, paucis exponam. Ab initio maximam inter se habent similitudinem, atque in eo conveniunt cum quovis animato, quod formam simplicissimam, hoc est, sphaericam, tempore geneseos, gerunt.

Qua observatione freti, Angli: Hunter, Adams, Baron, Jenner in errorem magnum sunt inducti; nam cum tubercula, melanosin, encephaloides, scirrhum et alia formam sphaericam, cum oriantur, praebere viderent, et se observasse putarent, telam tuberculosam ab initio esse hydatidem, concluderunt, omnes telas spurias nil esse, nisi tubercula magis evoluta. Quin imo Adams proferte sententiam, omnes tumores cysticos a primordiis esse hydatides memoratque carcinomatosas et alias; contendit porro secundum theoriam suam, omnes telas praeternaturales originem habere ab animalculis, fungum, cujus plures species nominantur, plurium hydatidum morte gigni, ab organismo procreatum; quo caeterorum animalculorum vita servetur. Eandem fere sententiam Baron proponit, jam antea in Hunteri schola pronuntiatam, hydatidem non esse telam spuriam sui generis, sed omnium parasitorum matrem. Perductus est Baron in hunc errorem experimento a Jenner instituto. Jenner enim saginavit caniculos; experientia doctus, porrecta nutrimenti abundantia motioneque diminuta, hepar pati transformationem morbosam, inquisivit

hepar caniculorum spatiis interpositis, primumque hydatides, deinde praeter hydatides tubercula quoque se reperisse dicit. Confirmatur quidem hac observatione, utrumque morbum sedem suam habere posse in hepate; ob hanc rem autem concludi non potest, tubercula oriri e hydatibus, morbo quidem propinquo secundum, histographorum investigationes. Facile quoque fieri potuit, ut Jenner fefellerint oculi, cum rudimenta tuberculorum sphaerica habuerit hydatides. Nec raro contingit, ut plures variique generis telae spuriae eodem tempore organismum habitent, ut tubercula, melanosis, encephaloides in diversis corporis partibus, saepissimeque sectionibus cadaverum confirmatur, praeter telam spuriam, ad quam generandam summa fuit in corpore praedispositio, nonnunquam plures alias quoque gigni.

Cum vero rudimenta telarum spuriarum posita sint, vitam suum organismo perniciosam agere incipiunt secundum leges proprias, faventeque diathesi corporis magis magisque increscunt, nutrimentis ex organismo aegroto sumtis.

Altera jam nobis occurrit quaestio: unde fit, ut formae hae alienae novaeque in corpore humano oriantur? Ad exponendam hanc rem, tres potissimum sententiae valde inter se discrepantes, a scriptoribus propositae sunt, quarum prima formas spurias ex atonia organorum, altera e statu irritativo auctisque viribus vitalibus, tertia, cui conditiones illae originis haud necessariae videntur, ex alienata totius corporis nutritione atque secretione originem habere profitetur. Scriptores, primae sententiae addicti, plurimum tribuunt observationi, quod formae illae spuriae inveniri solent in corporibus hominum debilium et enervatorum, quorum cutis pallor, musculorum gracilitas sanguinisque tenuitas jam indicat parvas virium vitalium actiones; quod nonnullae earum originem debent conditionibus, quae organismum enervant, ejusque evolutionem prohibent. Ita, aëre humido lucisque beneficio demto, ubi sanguis rarior et parcior per cutis vascula movetur, secretiones autem serosae et mucosae copiosiores videntur, in variis corporis partibus tubercula et entozoa gignuntur. Diminuuntur quidem his conditionibus

organismi incrementa vitaque inferior intrare videtur, tamen opponi licet huic sententiae, virium vitalium decrescentiam, ita paratam, non omnibus accidere corporis partibus, et qua parte tubercula et entozoa oriuntur, vires vitales esse auctas, adesse irritationem. Refutatur haec oppositio observatione, nullam formam spuriam irritatione, etsi maxima, unquam generari, absente diathesi, cum sine irritationis signis facillime oriantur, vitiis in aëre et nutrimento praesentibus. Nulla autem ratione confirmari potest, partibus, ubi morbi illi nefarii sedes suas posuerunt, vitam esse debiliorem; sed omni dubio vacare videtur, adgeri iis sanginem alienatum et depravatum, qua re nutritionis et secretionis ratio vitiari oportet. Adesse virium vitalium alienationem in corpore morbis illis labefactato, testatur experientia; auctas tantum esse aut diminutas actiones vitales, ubi telae spuriae gignuntur, docet hypothesis. Negari omnino non potest, irritationis aut virinm auctarum signis in partibus affectis vitiorum illorum praesentiam saepissime indicari; quae irritatio partim symptomatibus solitis, partim cadaverum sectioni-

bus commonstratur; sed sufficitne haec irritatio ad originem malorum illorum declarandam? Si ita se res haberet, necesse esset confirmari, genesin telarum spuriarum irritatione aucta augeri, ea diminuta diminui, quod fieri nequit; quin imo post vehementissimas et diutissimas sanguinis congestiones nulla telarum illarum vestigia, et deficientibus irritationis signis, apertissima in cadaveribus nonnunquam reperiuntur. Cuique praeterea patet, sententiam eorum, qui derivant formas in corpore spurias ab irritatione aut vi vitali aucta, niti conclusione falsa, e duobus phaenomenis se invicem comitantibus alterum esse causam, alterum effectum.

E scriptoribus huc referri debet Broussais, qui tubercula, fungum durae matris, concrementa cartilaginosa et ossea, melanosin, scirrhum, encephaloidem, et cancrum in pulmonibus inflammatione oriri profitetur. Bayle *) contra denegat tuberculis aliisque telis spuriis hanc originem in-

---

*) Bayle recherches sur la phthisie pulmonaire. Paris. 1810.

flammatoriam; in qua re cum eo consentiunt Baron et Lannec, neque vero repugnant Baron et Laennec contra sententiam, diathesi favente, tuberculorum genesin accelerari irritatione inflammatoria, sed non solitam esse originem eorum contendunt. Vix quoque cogitari potest, pulmones inflammatione diuturna vexari, quin signa ejus observentur, docetque experientia, irritationis inflammatoriae in pulmonibus signa tum demum percipi, cum tubercula illam excitaverint. Si quis opponere vellet, scirrhi origini nonnunquam praecedere inflammationem chronicam, glandula contusa ortam, magno in errore versatur, si opinatur, hanc contusionem esse necessariam originis scirrhi conditionem; nam plurimi scirrhi sinè violentia externa gignuntur, et scirrhus rarum malum est, si comparamus cum glandulis contusis; ubi vero contusionem glandulae cujusdam scirrhus sequitur, praedispositio jam adfuit, contusio fuit causa occasionalis, qua affectio occulta vitium manifestum factum est. Et porro, nonne fungum medullarem saepissime oriri videmus, irritatione quavis topica absente, imo doloribus ab initio defi-

cientibus, cum nil nisi tumoris incrementa mali praesentiam aegroto indicent? nonne mirum videtur, in tuberculosi universali, ubi in cerebro, pulmonibus, hepate et aliis locis tubercula inveniuntur, inflammationis signa defuisse, si tubercula ita orta essent? Attamen si negare non possumus, quamvis potentiam nocentem, qua nutritio et secretio vitiatur, causam fieri posse telarum spuriarum, irritationi quoque haec vis concedenda est, non autem ob auctam nutritionem et secretionem sed ob alienatam atque turbatam. Causae nocentis vis irritans et debilitans mutat curam therapeuticam, non originem telarum spuriarum; nam eandem telam spuriam in eodem organo oriri videmus, tam vita ejus aucta, quam supra normam diminuta. Ita eadem melanosis, in pulmonibus chronica inflammatione irritatis nonnunquam visa, oritur quoque in pulmonibus senum sanis, dum atrophia corripiuntur. Propria est cuique homini constitutio quaedam, quae nervorum actioni, sanguinificationi, nutritioni et secretioni naturam quasi specificam imprimit, et in his constitutionibus est, ni fallor, vera causa forma-

um spuriarum quaerenda. Modo congenita est haec constitutio, modo noxis externis orta. Nam nonne observamus, aëre humido et nubilo organismi vitam ita mutari, ut in variis corporis partibus praedispositio ad tubercula manifestetur? eadem aëris constitutione entozoa in tractu intestinali et aliis organis oriri? Et denique quid luculentius demonstrat, originem telarum spuriarum non fortuitam esse, irritatione aut atonia provectam, sed necessariam, cum tota organismi vita connexam, quam experientia, praedispositionem ad haec mala transire quoque a parentibus ad partos, et cuique aetati suas esse telas spurias proprias, aetati juvenili tubercula, senili melanosin? Fortasse reservatum est tempori futuro, genuinam cujusvis diatheseos ad haec vitia naturam perscrutari, signaque, e quibus ejus praesentia cognoscatur, priusquam telas illas produxerit, in lucem edere, quo et medici auxilia in hac artis parte fiant feliciora. —

CURRICULUM VITAE.

Ego Everhardus Schieffer, confessioni catholicae addictus, natus sum Casteri, oppidulo ducatus Juliacensium mense Decembris MDCCCV, parentibus Benedicto Schieffer, morte praematura mihi abrepto, et matre, e gente Spickernagel, adhuc superstite. Cum annum decimum quintum agerem, literarum elementis imbutus, collegium Gladbacense adii, ubi frater carissimus parens mihi fuit atque praeceptor, ibique per tres

nnos moratus, gymnasium Düsseldorpiense
er triennium frequentavi. Examine abitu-
ientium superato, ad universitatem almam
Rhenanam me contuli, civiumque numero a
Rectore t. t. magnifico, Noeggerath adscriptus,
pud Ill. Nasse, med. t. t. Decanum nomen
rofessus sum. Audivi hic disserentem ex or-
line philosophorum: Ill. Calcer de psycholo-
gia, logica et introductione in studium philo-
ophiae, Ill. Brandis de metaphysica, philoso-
phiae rerum divinarum et de doctrinis philo-
ophórum recentiorum, Ill. ab Alton de theo-
ria artium liberalium, et de historia earum in
aevo medio, Ill. G. Bischof de chemia expe-
rimentali, Ill. a Munchow de physica experi-
mentali, Ill. Nees sen. de botanice, Ill. Gold-
fufs de zoologia et zootomia, Ill. Noeggerath
de mineralogia et geognosia. Ex ordine me-
dicorum mihi tradiderunt encyclopaediam et
methodologiam artis medicae Ill. Windisch-

mann, osteologiam hominis Ill. Weber, physiologiam, anatomiam comparativam et pathologiam generalem Ill. Müller, anatomiam hominis specialem et generalem artem que cadavera dissecandi Ill. Mayer, medicinam forensem E. Bischoff, materiam medicam Ill. Harless pathologiam et therapiam specialem et generalem praelectionesqueclinicas propaedeuticas ill. Nasse, chirurgiam, akiurgiam, ophthalmologiam doctrinamque de ossibus fractis et luxatis Ill. a Walther, artem obstetriciam praelectionesque de instrumentis obstetriciis Ill. Kilian. MDCCCXXX mense Aprilis hanc almam literarum universitatem Berolinensem petii, et a Rectore magnifico Hegel civium numero sum adscriptus. Frequentavi hic per semestre aestivum scholas clinicas medicas Ill. Bartels, chirurgicas Ill. Rust, ophthalmiatricas Ill. Jüngken, obstetricias Ill. Busch, per semestre hibernum scholas clinicas medicas Ill. Wolff.

Tentaminibus tam philosophico quam me-
lico, et examine rigoroso, rite peractis, spero
ore ut, dissertatione et thesibus defensis,
ummi in medicina et chirurgia honores in
ne conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

Diagnosis morborum cordis fere semper dubia.

Morbi chronici non tàm remediis pharmaceuticis quam diaeta curandi.

Inflammatio pulmonum chronica non causa, sed sequela tuberculorum.

Non solum cor, verium etiam arteriae contrahuntur ad sanguinem propellendum.